DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

DYSENTERIA

QUAM
PRÆSIDENTE
IEHOVAH ARCHIATRO,
DECRETO
MAGNIFICI, NOBILISSIMI
ET GRATIOSISSIMI
COLLEGII MEDICI
UNIVERSITATIS CELEBERR:
ARGENTORATENSIUM,
PRO
SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIB:
ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS
RITE ET SOLENNITER CONSEQUENDIS,
CENSURÆ SOLENNI
PROPONIT
JOHANNES VALENTINUS WILLIUS,
MOENO-FRANCOFURTANUS.
Ad diem 19. Junii
Horâ Locoq; consuetis.

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS GEORGII SIMONIS,
Anno MDCXL.

VIRIS

MAGNIFICIS, STRENUIS, NOBILISSIMIS, prudentiâ & consilio Amplissimis, Clarissimis, Eruditissimis, rerumq; usu spectatissimis, Inclytæ Imperialis ac Liberæ Reipubl.

MOENO-FRANCOFURTENSIS, *Patriæ Patribus, vigilantissimis;*

DN. PRÆTORI gravissimo

DN. HECTORI WILHELMO, à Günterrode:

DNN. CONSULIBUS prudentissimis

DN. IOH. HENRICO zum Jungen/ Seniori.

DN. MARQVARDO von Glauburg/ Juniori.

Et

Omnibus totius ordinis Senatorii honoratissimi,

DNN. SCABINIS, SCHOLARCHIS ET SENATORIBUS,

Dominis, Mecœnatibus, ac Patronis suis, eâ, quâ par est, animi observantiâ suspiciendis,

Hanc suam disputationem Inauguralem,

In devotæ mentis signum
& sui commmendationem
submissè offert
dicat
consecrat

JOH. VALENTINUS WILLIUS,
Mœno-Francofurtanus, A. & R.

D E

DYSENTERIA.

THESIS I.

DYſenteriæ *vocabulum* eſt Græcum, ex δὺς qvod malum, vel magnam difficultatem; ac nomine ἔντερα qvod inteſtina ſignificat, compoſitum.

II.

Origine itaqve ab affectione & ſubjecto tractâ, vox dyſenteriæ in *genere* qvamcunqve magnam inteſtinorum difficultatem, ſive malam conſtitutionem ſonat.

III.

Strictius tamen aliquando uſurpata legitur, pro *cruento tantùm* alvi fluxu. *qvovis* tamen, quâ ratione tres dyſenteriæ ſpecies enumerantur: 1. αἱματώδης cruenta & venoſa dicta. 2. ἡπατικὴ hepatica. 3. αἱματηρὴ melancholica. In qvarum illâ, ſangvis quantitate ſolùm peccans; in iſta, loturæ carnium recens mactatarum ſimilis; in hac, qvalitate magis qvàm qvantitate peccans, per alvum excernitur.

IV.

Strictiſſimè verò, in ſpecie, & κατ᾽ ἐξοχὴν Medicis dicta dyſenteria, eſt ἑλκώδης, *ulceroſa* vocata. Reliqvæ enim omnes impropriè, & ſaltem qvòd ſangvis per alvum in illis egeratur, hoc ſibi nomen vendicant.

V.

Hæc, ῥευματισμὸς cum ulcere, Cælio Aureliano: morbus diſſolutus Paracelſo: Tormina, Celſo: die Rothe Ruhr / Darm-Blutruhr / Rothewehe, oder ſchade Germanis, nuncupatur.

VI.

DEFINITUR, *qvòd ſit exulceratio inteſtinorum, facta à re, præter manifeſtam, etiam occultâ qvalitate, ipſa erodente, cum dejectione freqventi, cruentâ & purulenta, ac ventris dolore torminibusq;.*

VII.

Ex hac definitione, quæ caufalis eft, Dyfenteriæ formam, materiam, efficientem caufam, & adjuncta propria, hanc fpeciem à reliquis diftingventia, colligere eft.

VIII.

Forma, eft ulcus, morbus in fecunda & tertia fpecie, compofitus ex folutione continui, cum imminuta magnitudine.

IX.

Materia, eft fubjectum, *inteftina* videl: cùm *fuperiora*, qvæ tenuia, puta δωδεκαδάκτυλον, duodenum, der Magendarm; νῆστον, jejunum, der Fleifchdarm; λεπτὸν ἢ εἰλεόν, tenue five ileum, der dünne Darm: tum *inferiora* qvæ craffiora, ut τυφλὸν cæcum, der Sack; κῶλον, grande, der groffe Darm/der Keutteldarm/ἀπευθυσμένον ἢ ἄρχον, rectum, der Maaßdarm/ Affter- oder Weidedarm.

X.

Efficiens, eft materia erodens & exulcerans, modò foris accedens, modò intra genita, de qvibus poftea in fpecie.

XI.

Adjuncta, dejectionis qvalitate, qvantitate, tempore & modo exprimuntur.

XII.

DIFFERENTIÆ *effentiales* dictæ hinc oriuntur quatuor: Prima, *à forma*: Exulceratio enim nunc minor, nunc major, tanta interdum, ut inteftina perforentur.

XIII.

Secunda, *à Materia*, *f. fubjecto*. Aut enim tenuium inteftinorum eft, aut crafforum, aut utrorumqve; & qvidem vel unius, vel plurium, tàm horum, quàm illorum.

XIV.

Tertia, *ab efficiente*. Qvædam enim ab externa caufa, qvædam ab interna fuum trahit ortum; eáq; vel communi, vel privatâ: hâc verò malignitatis aut participe aut experte. Unde alia eft dyfenteria epidemica aut fporadica; alia item maligna vel benigna.

XV.

Qvarta, ab *adjunctis* thef. II. recenfitis. Alia namqve dyfenteria eft cum dejectione 1. nunc fincerâ magis, nunc magis permiftâ, 2. pauciore aut copiofiore, 3. continuâ ferè, vel minus freqventi. 4. Conjunctâ cum dolore acutiffimo, interdum non ita vehementi.

Acci-

XVI.

Accidentales differentias qvod attinet; Ab *adjunctis adfectibus*: est vel conjuncta cum morbo aliqvo, v. g. febri, calidâ hepatis intemperie, &c. ac stipata multis symptomatibus; vel solitaria, ac paucis circundata.

XVII.

A *more*: alia maligna, alia benigna.

XVIII.

A *modo productionis*: datur πρωτογενὴς primigenia, & ὑστερογενὴς, morbi alterius succedanea, qvæ rursus critica aut symptomatica.

XIX.

A *tempore*: in principio, augmento, vigore, & declinatioe constituta.

XX.

Ab *exitus qvalitate, qvantitate modoq;*: Lethalis ac salutaris; brevior ac diuturnior; & quæ in alium vel nullum desinit affectum.

XXI.

CAUSAS proponamus. *Proxima* est, qvicqvid intestina præter manifestam, abditâ qvoq; qvalitate peculiariter iis infestâ erodit & exulcerat, sive *foris advenerit*, sive *intra* corpus fuerit generatum.

XXII.

Qvæ foris adveniunt, sunt qvædam venena & medicamenta. Famosiora sunt *ex venenis*, Antimonium, Arsenicum &c. qvo referimus quoq; contagium dysentericum, qvidam adamantem addunt: ex *Medicamentis* verò, scammonium, colocynthis, diagrydium, cucumis asininus, euphorbium, laureola, aut minus correcta, aut majori copiâ recepta.

XXIII.

Qvæ intra corpus generantur, sunt *humores*, *modò* maligni & pestilentes, *modò* malignitatis (proprie malignitatem sumendo) expertes: utriqve aut collecti & geniti in intestinis, aut aliunde ad ea nunc vi protrusi vel attracti, nunc sponte suâ delapsi.

XXIV.

Ad causas remotas itaqve omne id referimus, quod ad humoris istiusmodi intestina sic exulcerantis generationem, ac generati ad ea prolapsum & commotionem facere, aptum natum est; sunt autem προηγούμεναι & προκαταρκτικαί: qvarum hæ illis remotiores.

XXV.

Remotæ, προηγούμεναι dictæ, sive *antecedentes*, duas habent classes, *corporearum* scil: & *incorporearum*.

XXVI.

Ex priori sunt; pituita salsa & bilis utraqve, frequentissimè tamen

 bilis,

bilis, qvanqvam omnes ferè humores hanc vim & qualitatem, ut intestina exulcerare & dysenteriam producere valeant, possint adipisci.

XXVII.

Ex posteriori sunt *Constitutiones vitiosæ* in corpore; aut toto, aut ejus parte una, pluribúsve v.g. ipsis intestinis, vel hisce vicinis, ut hepate, vesiculâ fellis, liene, ventriculo, vel dissitis, ut cerebro, *vitiosos ejusmodi humores* tum *producentes*, e.g. intemperies, obstructiones, atqve hinc dependens concoqventis & expell. imbecillitas; tum *ad intestina eosdem moventes*, tam per ὦσιν, modum pulsionis, è qvarum numero est ulcerosa ventriculi dispositio, quàm per ἕλξιν, modum tractionis, qvales sunt dolor ac calor ventris & intestinorum, vehementer affligentes.

XXVIII.

Remotiores, προκαταρκτικαὶ dictæ, s. *primitivæ*, sunt duûm qvoq; generum: vel enim humor pravus diætæ vitio, h. e. *rerum non nat.* habitu vitioso contrahitur ac commovetur; vel sangvis, etsi bonus, à *contagio* corrumpitur & inqvinatur.

XXIX.

Ex rebus non naturalibus sunt, & qvidem ex iis qvæ 1. *assumuntur*, α, *aër* qvi inspiratur, intemperatus in primis 4. qvalitatibus, potissimum calidus & siccus, qvalis sub canicula esse consuevit; nec non τὸ θεῖον seu primis qvalitatibus qvid potentius continens, sive aliunde id acceperit, sive in eo id generatum sit, ob occultas fortè syderum influentias. β, *cibi* acres & mordaces; sive naturâ suâ tales, ut cœpæ, sinapi, nasturtium, raphanus, aromata &c. sive per admistionem, ut sale ac aromatibus condita, sive per puttrefactionem & corruptionem, quales fiunt fructus horæi. γ, *Medicamenta*; tum ore assumpta, tum per inferiora injecta, non solùm fortiora, sed etiam leniora qvædam, majori copiâ sumpta.

XXX.

2. *Geruntur*, α, motus animi & corporis, æstivo præsertim tempore, vehementiores, β. vigiliæ & somnus modum excedentes.

XXXI.

3. *Excernuntur aut retinentur præt. nat.* puta, evacuationes immodicas, ac consuetas suppressas, qvascunq;.

XXXII.

4. *Extrinsecus obveniunt*, utpote, α, *Aër* ambiens dicto modo vitiosus. β, *inunctiones*, videl. hydrargyri, ut nonnulli statuunt &c.

XXXIII.

Contagium utrumqve, ad distans & per contactum, *duplici modo*

modo ſimilem in corpore id recipiente morbum excitare poteſt; immediatè ſcil. inteſtina afficiendo; & mediatè, maſſam ſangvineam corrumpendo. Reſpectu *prioris*, ad cauſas dyſenteriæ proximas; at *poſterioris*, ad remotas refertur.

XXXIV.

SIGNA quod attinet, diſtinguimus ea in *διαγνωστικὰ καὶ προγνωστικά*.

XXXV.

Διαγνωστικὰ rurſus duplicia facimus: *παθογνωμονικὰ*, qvæ patefaciunt cùm *in genere* ipſum *affectum*, tum *in ſpecie* ejus *differentias*: & *αἰτιογνωμονικὰ*, quibus cauſas venamur.

XXXVI.

In genere dyſenteriam patefacientia, ſunt illa ipſa in definitione tradita ſymptomata: dejectio ſcil. freqvens, cruenta & purulenta, ac dolor ventris atqve tormina.

XXXVII.

In ſpecie differentiarum eſſentialium ſigna, & qvidem petitarum *à forma*, quibus nempe Ulceris gradus colliguntur, ſunt diverſæ dejectionum ſubſtantiæ; *primum* enim *gradum* mucoſæ, *ſecundum* pelliculares, *tertium* corticales arguunt.

XXXVIII.

A ſubjecto, ſive parte affectâ deſumptarum ſigna eluceſcunt ex quibuſdam *doloris*, *dejectionis*, *egeſtorumq́;* *conditionibus*, ac nonnullis *ſymptomatibus*.

XXXIX.

Tenuia enim inteſtina afficiuntur: *ſi dolor* acutiſſimus, puncturæ acicularum non abſimilis, circa vel ſupra vel infra umbilicum ſit: *ſi dejectio* à dolore & factâ torſione non mox fiat: *ſi egeſtis* fecibus cruor & ab ulcere excreta exquiſitè permiſta conſpicianrur: *ſiq́;* vires citò & notabiliter exſolvantur, cum febrili calore, nauſeâ, vomitu, ſitiq́;, ægrum vehementer infeſtantibns.

XL.

Craſſa verò; *ſi dolor* non ita vehemens, magis infra umbilicum, aut circa hepatis cava, ventriculi fundum, lienis regionem, & longitudinem oſſis ſacri ſentiatur; *ſi excretio* ſtatim tormina & ventris cruciatum ſeqvatur: *ſi cruor* & purulenta vel fecibus ſupernatent, vel pura minimeqve permiſta excidant; *ſiq́; ſymptomata* enarrata remiſſiora ſint atqve tolerabiliora.

XLI.

Ab adjunctis theſ. 15. memoratis qvæ deſumuntur, commemorare opus non eſt, ſunt enim manifeſta.

Acci-

XLII.

Accidentales differentiæ, & potiſſimùm qvidem *conjuncta* ac *ſolitaria*, nullo vel levi negotio indagantur, adjunctis affectibus cognitis.

XLIII.

Maligna ſigna, ſuppeditant ſymptomata pr. nat. graviora, utpote ſunt, virium langvor, deliqvium animi freqvens, ſingultus, ſudor ſyncopticus, frigus extremorum, fætor excretorum cadaveroſus. *Benigna* contrà, mitiora & benigniora ſunt accidentia.

XLIV.

Primigenia eſt, ſi hominem nullâ prius detentum ægritudine corripiat: *Succedanea*, contrà. Hanc verò *criticam* vel *ſymptomaticam* eſſe cognoſcimus ex tempore, qvantitate, & qvalitate dejectionum.

XLV.

In principio morbum eſſe, intelligimus, ſi dejectiones ſint fluidiores cum pauco ſangvine purulento admixto: *in augmento*, ſi freqventiores ſint minusqve copioſæ, ac ſymptomata omnia exaſperentur: *in ſtatu*, ſi à ſtatu ſuo naturali planè recedant: *in declinatione*, ſi ad naturalem ſtatum redire iterum incipiant.

XLVI.

Αἰτιογνωμονικὰ Dyſenteriæ *à cauſa intus ortâ* profectæ colliguntur ex ſignis humorum in corpore abundantium, ab ætate, temperamento, vitæ genere, regione, anni tempore, cœli ſtatu, nec non excrementorum colore, acrimoniâ, conſiſtentiâ, ſubſtantiaq; deſumptis.

XLVII.

Externa verò cauſæ an occaſionem præbuerint, Medico ex ægri adſtantiumqve relatione, ut & circumſtantiarum conſideratione diligenti patefiet.

XLVIII.

Προγνωστικὰ ſunt triplicia. Quædam enim *eventus qualitatem*, h. e. ſalutem vel mortem: quædam *quantitatem* ejus, puta, tempus, qvo finis erit: qvædam illius *modum* prædicunt.

XLIX.

Qvalitatis prognoſtica, deſumuntur ex morbi vehementia ad vires ægri collatâ, h. e. *ex ulceris conſtitutione, ſubjecto, ſive loco affecto, cauſis, adjunctis, ac patientis naturâ & diſpoſitione.*

L.

Ex ulceris conſtitutione: Dyſenteria *gradus primi* curatu facilis eſt

poſterio

posterioris, si non planè impossibilis, sanè difficilima; *medii*, medio modo se habet.

L I.

Ex subjecto: *intestinorum superiorum* dysenteria, (inprimis jejuni) est periculosior infestante *inferiora*, idqve propter nobilitatem, vasorum multitudinem, tunicæ tenuitatem, substantiam membraniosiorem, ventriculi συμπνοιαν, bilis sinceræ susceptioem, & curandi difficultatem.

L I I.

Ex causis: Dysenteria si sit à febri maligna, pestilenti & contagiosa, ut plurimùm est lethalis.

Quæ à *venenis* assumptis, aut ex *malignis humoribus* est oriunda, admodum periculosa est.

Si ab *acribus cibis*, aut *flava bile* dysenteria oboriatur, ferè in totum ipsa curatur.

A sincera dejectione dysenteria, malum.

Dysenteria si *ab atrabile* incipiat, est lethalis.

Dysenteria à *pituita salsa* proveniens, crudelissima.

L I I I.

Ex Adjunctis, in genere; Quò plura, prava magis ac vehementiora sunt talia, eò gravius imminet periculum; & contra.

L I V.

In specie, ex *Morbis*: si dysenteriæ febris accesserit, vel intendatur, desperata res est.

Dysenteriæ cum hepatis inflammatione aut hypochondrii aut ventris, omnes sunt malæ.

L V.

Ex *Symptomatibus*, videlicet *Actionum læsarum*: Convulsiones & rationis perturbatio, si dysenteriæ superveniant, mortem significant.

In longis intestinorum difficultatibus, cibi fastidium malum, & cum febre pejus.

Si dysenteriæ ructus, vel crepitus ventris superveniat, bonum.

Singultus dysenteriæ superveniens, plerumqve lethalis est.

Dysentericis vomitus biliosus initiò, grave malum. *Hipp. in Coacis.*

Dysenteriæ superveniens lienteria, malum.

Qui lienosi dysenteriâ corripiuntur, iis supervenientem longam dysenteriam aqva inter cutem, aut intestinorum lævitas excipit & moriuntur.

LVI.

Excrementorum: In fluxionibus alvi, excrementorum non in deteriora facta mutatio juvat.

Excrementa alvi nigra, sponte euntia, sive cum febre, sive citra febrem, pessima.

Excrementa dysenteriæ porri speciem habentia, pessima.

Immodica vacuatio humorum, qvi per dysenterias excernuntur, noxia. *Nobiliss. D. D. Sebizius, Præceptor & Patronus meus ætatem venerandus, Fascicul. 40. thes. 9.*

Copia cruoris, carnearum fibrarum & puris, cum magnis torsionibus ventris, periculosa.

Si dysenteriâ laboranti veluti carunculæ dejiciantur, est mortiferum. 4. *aph.* 26.

LVII.

Qualitatis mutatæ: In quâ dysenteria excrementa sunt valdè fœtida & cadaverosum præ se ferunt humorem, periculosa est.

Facies Hippocratica, tortuosa, aures frigidæ, lingva nigra, stridor dentium, ut in qvovis alio morbo, ita in dysenteria qvoqve mortem portendunt.

LVIII.

Ex ægri natura & dispositione: Post longum morbum, imbecillo jam corpore, oborta dysenteria, mala.

Mulieres qvàm viri, Senes & pueri, qvàm juvenes, & in ætatis, vigore consistentes, difficilius curantur in dysenteria. *Aëtius tetrab. 3. serm. 3. cap.* 43.

Mulieri uterum gerenti, si alvus multum fluat, periculum est, ne abortiat. 5. *aph.* 34.

LIX.

Qvantitatis prognostica petimus principaliter ex complicatione morborum, qvalitate causæ & malignitate.

Sic, si morbus acutus dysenteriæ superveniat, non solùm mortem, sed & instantem pronunciat.

Si qvis ex morbo acuto relevatus dysenteriâ corripitur, ut plurimum brevi moritur.

Quæ dysenteria à flava bile oritur, brevior est; qvæ à pituita salsa, longior. *Gal. in com. aph.* 12. *f.* 3.

Si pustula nigra post aurem sinistram appareat, similis orobo, cum siti magna, mortem in vigesimo futuram significat. *Sennert. Pract. lib. 3. p. 2. s. 2. cap.* 7.

Modum

LX.

Modum eventus qvod attinet: Dyſenteria in longius tempus producta, vel in lienteriam vel in Hydropem deſinit. 6. *aph.* 43.

Quod ſi in ulcus ſordidum deſinat, tunc ceſſante dyſenteriâ, ægri diu poſteà purulentâ dejectione laborantes conſumuntur, & tandem extingvuntur. *Sennert. d. l.*

Unaqvæqve dyſenteria intempeſtivè ſuppreſſa, varios & periculi plenos morbos excitare obſervata eſt, v. g. pleuritides, peripneumonias & articulorum dolores, *ab Hipp. in Coacis.*

Maniam, apoplexiam, nephritidem, melancholiam, hydropem, hæmoptoën, ſangvinisqve vomitionem, *à Galen. lib. de ven. ſect. contra Eraſiſt.*

Inſaniam, ſcabiem lepræ ſimilem, contumacem alvi conſtipationem, unde fætidum per os & nares odorem ægrotans expirârat, nec non epilepſiam, *ab Hollerio.*

Ex gravi dyſenteria qvidam in ſemitertianam ſpuriam incidit, qvæ poſtea febris intermittens facta eſt, ægerqve 60. die mortuus eſt. Et juvenis qvidam Belga, ut poſt dyſenteriam in ſemitertianam inciderat, die 20. mortuus eſt. *Spigel. l.* 1. *de Semitertian. c.* 15. *&* 16.

LXI.

CURATIO ſupereſt, qvæ dirigenda ad 4. ſeqûentes ſcopos: puta, *vires, cauſam, morbum & ſymptomata, ſi urgeant*; auxiliorum materias ex triplici fonte, diætetico, chirurgico & pharmaceutico, deſumendo.

LXII.

VIRES, qvæ omnium indicantium regina, ante omnia confortandæ ac refocillandæ ſunt, *tam medicamentis*; utpote Elect. condit. deſtillat. pulver. aliisque confortantibus; *qvàm diætâ* convenienti, & ita comparatâ, ut morbum non foveat, ſed eidem potius reſiſtat.

LXIII.

Aër itaq;, qvo in æger decumbit, *in activis* temperatus ſit, & ad caliditatem potius qvàm frigiditatem declinet; *in paſſivis* ad ſiccum vergat.

LXIV.

Cibi eligantur *in qvalitate* εὔχυμοι, εὔπεπτοι καὶ εὔτροφοι: *in quantitate* pauci, & ſimul ad curationem mali aliqvid facientes, qvales ſunt; *dum acrimonia humorum obtundenda*, quibus vis emplaſtica & viſciditas qvædam ineſt, videl: ova elixa, Lac (nî febris urgeat) pultes ex amylo, milio & lacte paratæ &c: *dum abſtergendum*, hordeata, avenata: *dum adſtrin-*

gendum & consolidandum: oryza cum lacte cocta, amylum, cydonia, pyra, mespila, &c.

Potus sit aq. hordeata, chalybeata, vel sola, vel cum syr. cydon. myrtin. granat. &c. Emulsio amygd. d. cum sem: 4. frig maj. & sem. plantag. parata. Vini usum, deficientibus viribus & ventriculo laborante, non denegabimus, rubri scil: adstringentis, & inprimis, in qvo pruna sylvestria exsiccata fuerint infusa: dilui etiam vel chalybeatâ aqvâ, vel decocto sem. coriandri, aut oxyacanthæ, poterit, ubi necessarium videtur.

LXV.

Motus corporis, ne fluxus magis irritetur, vires plus debilitentur, & febris accendatur, aut accensa augeatur, sedulò cavendus est, quies verò adeò suadenda, ut æger vel in lecto etiam remanens, suppositis linteaminibus duplicatis aut pelvi depressâ egerat: melius namqve esse modicum erubescentiæ habere, quàm subitò ad patres antiqvos hoc ex seculo transmeare, *inqviebat nonnullus.*

LXVI.

Somnus, & virium restaurandarum, & fluxus sedandi, & doloris sopiendi gratiâ, est utilissimus, qvocunqve etiam tempore seu naturâ seu arte productus.

LXVII.

Excrementa, nisi naturæ legi aptè respondeant, arte provocanda, provocataqve statim removenda, ne contagiosis halitibus vel ipsi ægro molesta sint, aut alios inficiant.

LXVIII.

Animi pathemata vehementiora, quippe qvæ humores in corpore reddunt acriores, atqve fluxionis impetum nimis agitant & irritant, procul ableganda. Frölichkeit ist gut für Kranckheit: Frölich Gemüth macht gesund Geblüt. *Nob. D. D. Ludov.* von Horneck/ *Patriæ Physicus ordin. &c. Fautor & Patronus meus magnus, inqvit Polit. Medic. titul.* 17.

LXIX.

In CAUSA morbi expugnanda respiciendum 1. ad *humores* peccantes, qvi præparandi & expurgandi, siqve malignitatis adsit suspicio, bezoardicum aliqvod exhibendum. 2. ad *constitutiones in corpore pr. nat.* ejusmodi humores tàm *producentes*, qvàm ad intestina *moventes*, qvę tollendæ & emendandæ. Quibus autem modis sit hisce omnibus & singulis, prout natura cujusqve reqvirit & postulat, satisfaciendum, paucis pagillis vix describere licebit, recurrendum erit ad scripta Practicorum.

Duo

LXX.

Duo hîc tamen monenda: *alterum in pharmacia*, ut scil: cathartica sint blanda, acrimoniâ carentia, & aliqvali virtute adstringendi, ad corroborationem & valentiorem influentis humoris exclusionem prædita, uti sunt è simplicibus pulpa tamarind. myrobal. Rhabarb. Agaricus, Mechoac. Polypod. epithym. Fol. sen. E compos: Syr. rof. sol. El. diacathol. Tryphera Pers. diaphænic. &c.

LXXI.

Alterum in Chirurgia: ut Venâ, si evacuationis, revulsionis ac refrigerationis gratiâ opus videatur, Basilicâ aut Medianâ aut Salvatellâ, mox viribus adhuc constantibus, angusto foramine sectâ, sangvis paulatim & per vices evacuetur.

LXXII.

MORBUS ipse, cùm in eo intestinorum exulceratio sit, seu soluta unitas, cum partis affectæ imminutione, indicat *ejus qvod amissum seu erosum est, instaurationem, & solutæ continuitatis unionem.* Ad qvos scopos, qvantum possibile, implendos, utemur sordes ulceris *detergentibus* ulcusq; mundificantibus; alvum (nisi fluxionis impetus cesset) *adstringentibus*; & ulcus *consolidantibus*: habitâ diligenter ratione tum *sedis affectæ*, tum *causæ efficientis*.

LXXIII.

Detergentia & mundificantia erunt aptissima: *Hydromel, serum lactis præpar. syr. d. ros. sicc. Decoctum hord. c. sacch. ros. aut melle mixtum: Decoct. cicer. rub. furfur. lupin. fumar. centaur. min. cap. vervec. &c.*

LXXIV.

Adstringentia, qvibus fluxus alvi impetuosus, nisi cessare videatur, compescendus, sunt *Radices* Consol. maj. plantag. torment. *Ligna* Santal. rubr. *cortices* mori, macer. tunica castan. inter. *Folia* plantag. centumnod. verben. artemis. & plærarumqve plantar. vulnerariar. *Flores* ros. rubr. balaust. hederæ terrest. coryli. *Semina* plantag. acetos. portul. ros. papav. oryzæ, nasturtii nonnihil tost *Fructus* cydon. mespil. berber. Sorba, pyra, poma austera, avellan. Lombard. N. moschat. *Succi* plantag. lysimach. hederæ terrest. *Gummi & lacrymæ*, thus, mastich. myrrha, gummi Arab. Tragac. *Olea* mastich. cydon. myrt. ros. absinth. *Liqvores*, ut vinum rubrum adstringens. *Ex animalibus*, Tunicæ gall. ventr. inter. Ebur ustum, Coagula, Stercus canis candidum minimè fætens, C C. ustum, Spodium, genitale cervi exsiccatum. *Ex mineralibus*, Bolus Arm. terra sigill. Lapis hæmatit. Smaragdus, Sapphirus, Bezoar.

zoar, Cryſtallus (quem dyſenteriæ antidotum appellant) Alabaſtrum candidum, Chalybs, &c.

L X X V.

Ad conſolidationem, qvâ, ulcere cavo abſterſo & (qvod ex paucitate ſaniei & puris cognoſcitur) probè mundato, utendum, ea ferè *qvæ ad fluxum ſedandum ſupra* propoſita ſunt, ſufficere poſſunt, ſi ſtypticis detergendi vi pollentia admiſceantur. Promptius enim ulcus implebit & claudet natûra, eo probè à ſordibus & pure, qvæ ex parte ulcerata ſemper reſultant, repurgato. *Inſerviunt præterea huic uſui: Spica nard. Ariſtol. iris, rad. cyperi, charyophyllat. acetoſ. biſtort. verbaſc. eqviſet. ſanicula, fragar. piloſell. &c.*

L X X V I.

Ex his variæ medicamentorum *formulæ* poſſunt confieri, nempe *ex internis* vel *fluidæ*, v. g. decocta, infuſiones, aq. deſtill. tincturæ, emulſiones, Syrup. Julepi, vel *molles*, ut extracta, conſervæ, electuar. vel *ſiccæ*, ſcil. pulveres, trageæ, croci, rotulæ, morſuli, trochiſci, pilulæ. *Ex externis*, & qvidem *alvo immittendis*, & clyſteres & ſuppoſitoria; *ex ſuperficiei v. applicandis*, emplaſtra, cataplaſmata, Linimenta, Unguenta, fomenta inſeſſus, &c.

L X X V I I.

Subjecti potiſſimùm diverſitas, diverſitatem formulæ remedii denotat; ſic *tenuibus inteſtinis* affectis commodiùs per os aſſumptis medebimur: *craſſioribus* autem, per clyſteres, qvanqvam illa hîc etiam utilia eſſe, non inficiemur.

L X X V I I I.

Si à veneno hauſto dyſenteriam eſſe conſtiterit, *proprium alexipharmacum*, excitato prius *vomitu*, ſi aliqva fortè portio adhuc in ventriculo hæſerit: & exhibitis *acrimoniam veneni obtundentibus*, v. g. juſculis pingvibus, lacte, oryza, amylo, ptiſanâ, exhibeatur.

L X X I X.

Si à medicamento purgante ſit introducta: poſt *abſtergentium* uſum *theriacam* exhibere ſuadent, qvippe qvæ partibus narcoſin, ac humoribus motum contrarium, à centro ſc: ad circumferentiam, conciliet; atq; antidotum non ſolùm venenorum ſit, ſed & medicamentorum malignorum. Demum *externis internisq́, adſtringentibus* agendum: Primum locum inter illa tenent, olea roſ. myrt. cyd. maſtich. Maximè etiam commendatur empl. diaphænicon Meſ. & contrà rupturam.

SYM-

LXXX.

Symptomata *urgentia*, qvorum exacerbationes Medicum ſæpiſſimè, ut viam curandi extraordinariam ingrediatur, cogunt, ſunt: præter *fluxum alvi nimium*, (de qvo ſupra) præcipuè *dolor, vigilia, Lipothymia, Sitis, &c.*

LXXXI.

Dolorem ſedant vel *mitiora*, *à Medicis Anodyna* dicta, qvæ hîc non ſimpliciter vim laxandi habeant, ſed ſimul moderatè frigida ſint atqve viſcida, tum acrimoniæ humorum contemperandæ & obtundendæ, tum ſuperficiei inteſtinorum lentore obducendæ, & contrà fluentis materiæ morſum muniendæ gratiâ. Qvalia ſunt, *Lac coctum vaccinum & caprinum, juſcula à carne incoctâ, aut butyro aut oleo oliv. vel amygd. d. roſarúmve, pingvia reddita*: *Item ſem. pſyllii cydon. alth. plantag. C. C. uſtum præp. qvod qvidam valdè commendat & dolorem mirabiliter ſedare tradit, Amylum etiam, tragacanth. ſevum cervin. caprin. hædin. & ſimilia.*

Vel *valentiora, h. e. narcotica & opiata*, qvæ ſenſum ſtupefaciendo minuunt, in ſumma tantùm neceſſitate adminiſtranda, ea ſcil. qvæ, *Gal. 5. de ſimpl. med. fac. c. 18.* anodyna tantùm dicuntur, non autem reverà ſunt, *ut Excellentiſſ. & Celeberr. D. D. J. R. Saltzmannus, p. t. Rector Magnificus, Præceptor & Promotor meus multis nominibus venerandus, monet, diſp. de Col. paſſ. th. 74.* E qvibus Laudanum illud Parac. pondere iij vel iiij granor. adhibitum, miris modis prædicatur.

LXXXII.

Reliquis ſymptômatibus, licèt pro virili qvoqve ſuccurrendum ſit, cùm tamen pleraqve ſedato dolore pereant, neqve etiam brevitatis ſtudium permittat, ſpecialem eorum curationem annectere, plura deſiderantem ad Practicorum opera remittimus.

LXXXIII.

Finem itaqve theſium noſtrarum facimus, gratias Deo Ter Opt: Maximo, pro ſtudiorum noſtrorum progreſſibus hactenus benignè conceſſis, agentes immortales, cum precibus ardentiſſimis, ut iiſdem Idem porrò incrementum ſuperaddere dignetur, ad gloriam ſancti ſui nominis, ſalutem proximi hominis, propriumqve emolumentum nobiſmetipſis.

Willi,

WILLI, quæ ratio tibi
Tam serò studiis diu
Promissos titulos peti?
Qvæso relligio an fuit,
Exspectare genas pigras,
Donec prima sua ederent
Illæ gaudia, barbulâ
In molli, speciosior
Demum ut Vir Juvenis feras
Solers qvos Genius meret
Comptus Doctor honores? En!
Conjectura secuta ut est
Hoc desiderium apprimè
Testante experientia,
Felici omine cui, nihil,
Mi WILLI, superaddo, qvàm
Votum; hoc, luncticina est salus,
Qvam ratam jubeat DEUS!

φιλίης ἕνεκα

f.

M. Henricus Conr. Bruchhusius,
SS. Th. Stud.

F I N I S.